
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pace edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capucinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung der Sprüche Eccles. IV. 4. Secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Wilgener Predigt bey der Leichbegängnuß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

Gymnaſii Logici

DIATRIBE VII.

DE PROPOSITIONIS DEFINITIONE ET PARTIBVS

Diſputationis loco

Ad ſententiarum collationem in Gymnaſio Dantiſcano propoſita

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Philoſ. Mag. & Profeſſore Ordinario.

Reſpondentis munus obtinente

ABRAHAMO PVLMANNO,

Dirſchovienſe Boruſſo, Ampliſsimi Senatus Alumno.

Ad diem 18. Novemb. S. N.

In Auditorio Philoſophico Horis deſtinatis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

ANNO clɔ. Iɔc. XXXIII.

VIRIS

Strenuis, Nobilibus, Magnificis, Amplißimis, Consultißimisq́;

Dn. EGGERTO â KEMPEN.
Dn. TIDEMANNO GIESEN.
Dn. GVALTHERO ROSENBERG,
Dn. DANIELI FALCKEN,

Illi Pro-Consuli ac Proto-Scholarchæ merentissimo
His Coss. & Scholarchis Reip. patriæ vigilantissimis

Dnnnn. Mœcenatibus ac Patronis suis observanter colendis suspiciendisq; S.

More suo Persæ cum Regi munera ferrent,
Queis res lauta domi, munera lauta dabant.
Nec tamen è sterili quicquid provenerat arvo
Nescia mens gratè sumere Regis erat.
Namq́; erat interdum flaventi gratior auro
Oblatus gelidæ pauperis haustus aquæ.
Munere vos Mœcenates decorare decenti,
Quæ mihi præstatis munera vestra jubent.
Non mihi cum fulvo, quod rarum est, convenit auro,
Nec vobis gelidæ convenit haustus aquæ.
Convenit at Sophiæ specimen, quod muneris instar
Offero; vos placidè sumite: munus erit.

ABRAHAMUS PULMANNUS
Dir. Borussus
Amplíß. Senatus alumnus.

1.

VT *frustranea est omnis potentia, quæ nunquam ad actum traducitur, dicente* Philosopho lib. 1. d. cœl. c. 4. t. 32. & *ex eo venerabili* Bedâ p. 99. axiom: *sic frustranea terminorum ad prædicationem habilium discussa potentia, nisi ad actum conjungendi ea tandem applicetur. Quod ab actu mentis nostræ componente & dividente fieri solet, cujus opus Enunciatio dicitur, & parti Logices secundæ pro Objecto substerni potest. Ea, quia actus componens errare quandoq; potest, præceptis suis illum dirigere debet, ut veros conceptus conjungat, falsos disjungat.*

2. Propositionis *doctrina* vel præcognitionis *esse potest*, vel cognitionis. Illa *triplex, An propositio adæquatum* l. de interpr. *objectum? Quodnam ejus fundamentum? Quis author* l. de interpretatione?

3. Qua primum, *variant sententiæ.* Quidam interpretationem adæquatum objectum statuunt. Tolet. præf. l. Interp. Faber in l. d. Int. c. 1. q. 2. Bœth. Albertus M. ap. Conimbr. præf. l. d. Int. Dn. Olh. d. Lo. 6. t. 3. 4. *Alii secundam mentis operationem.* Morisan. præf. l. d. Int. Alii *Enunciationem.* Thomas, Scotus, Albertus, Ammonius, Conimbric. c. l. Barthol. præf. l. 2. Log. Titelman. præf. 3. Log. *Et* quidam *solam Enunciationem simplicem,* Boeth. & Conimbric. c. l. *Quib. rectè reclamat* Toletus c. l. *Breviter hic dicendum:* 1. Objectum adæquatum l. d. Int. est Enuntiatio universè sumpta, cum partib. & fundamentis suis proximis. *Patet 1. Omnia quæ hic tractantur, tractantur ad enuntiationem constituendã. E. ea adæquatum objectũ. 2. Debet hic li-*

ber esse medius inter primum & tertium. Ut bene Conimbr. c. l. *At tale quid est Enuntiatio universè sumpta. Hæc enim nec est terminus, de quo pars prima, nec discursus, de quo tertia. Ergò.* 3. Arist. c. 5. *tractat de propositione composita, etsi paucis. E. & ea ad hunc librum pertinet, nec debet segregari. Et habet suum usum in syllogismis compositis extruendis, etsi nil de iis specialiter habeat* Arist. *quod ideò est, quia ex simplicibus facile patent, nec faciunt diversas species â Categoricorum figuris.* Conf. Cl. I. M. C. 8. d. 10. q. 1. C. 9. d. 1. q. 1. *Objectum primarium forte est Enuntiatio simplex, Adæquatum Enunt. universa.*

4. *Dic: II.* Partes & fundamenta prop. proxima sub Enuntiatione ut toto, debent comprehendi. *Ita bene* Zabar. l. 2. d. N. L. c. 5. Goclen. l. 3. probl. q. 2. Regi. l. 2. q. 1. § 2. *Nam ubi totum tractatur, ibi & partes tractari debent. Rectè ergo sub objecto totali & partes ejus comprahenduntur, quales in Enuntiatione sunt nomen & verbum, subj. & prædicatum, de quib. recte in principio libri agit* Aristoteles. *Ordinantur n. hæ ad Enuntiationem construendam, nec tantū per accidens & ob meliorem cognitionē hic tractantur, ut placet* Titelm. c. l. Dices: *Inscriptio est de Interpretatione. E. hæc adæquatum objectum.* R. N. C. *non semper inscriptiones sunt ab adæquato objecto, sed alio quocunq; quod ad objectum ducit. Tale quid est interpretatio. Et sic vel à* parte *& fine objecti est inscriptio, ut putat* Alexander: *vel interpretatio notat ipsam Enunc. quæ interdum sic vocatur.* V. Scharf. l. 2. Log. c. 1. Hunnæum l. 3. Log. p. 137. Titelm. præf. l. 3. Log. *ut putat* Ammonius: *vel* Arist. *ad suum tractandi scopum respexit, qui est, sensa animi per enunt: interpretari.* V. Tolet. c. l. *vel ad sui seculi mores respexit, ubi potissimus Enuntiationum scopus, interpretari conceptus, ut placet* Keck. nostro l. 2. Log. s.

1. c. 1.

1.c.1. *vel generali usus vocabulo, etsi ad speciale ut objectum, intenderet, ut si tractaturus de homine inscriberes de animali, ut censet* Boethius ap. Tolet. c. l.

5. *Dicend: III.* Objectum libri hujus ex tractatione Aristotelea est enuntiatio vocalis & scripta: Ex rei veritate etiam mentalis esse debet. Prius *patet, quia principia vocalis prop. hic traduntur, voces, nomen, Verbum, oratio, &c. ut benè advertunt* Morisan. l. d. Int. c. 1. Faber c. l. c. 1. q. 1. Posterius, *quia enuntiatio mentalis non minus est Enuntiatio, quam vocalis & scripta. Nam definitio Enunt. ei competit. Imò primariò hæc est talis: Secundariò & signanter vocalis & scripta, propter scil. mentalem, quam repræsentant, ut* benè Keck. noster c l. & Cl. Weger. in l. d. Int. q. 10. n. 4. *sic angelis competunt Enuntiationes, etsi vocales a. scriptæ non. Cur a. in tractatione sua* Aristot. *ad vocalem & scriptam potissimum enunt. respexerit, ejus variæ redduntur causæ ab Interpretib. ut quod notior vocalis mentali: per eam hæc explicanda: sine illa explicatio difficilis sit, mos seculi Aristotelei, ubi ad vocales enunt. respiciebatur, &c.* V. Keck. nostrum c. l. *Quanquam vox λόγος quâ Enunt. definit* Arist. *& rationem & orationem significet, eoq; ad utrumq; referri possit, ut bene* Cl. I. M. c. Keck. l. 2. s. 1. c. 1. *Etiam vox latina Oratio, ad orationem internam, à Philosophis extenditur, etsi Philologis forte ea usurpatio non solita, quorsum pertinent, quæ regerit* Zanakius con. Cl. I. M. l. 2. s. 1. c. 1. q. 2.

6. *Hæc de* primo. Secundum est, quodnam fundamentum propositionis? *Hoc* vel *proximum est, Oratio, ut communiter ab Interpretib. redditur, quæ & genus & fundamentum esse potest, ut sunt ea quæ naturâ priora sunt, fundamenta posteriorum quib. suum esse communicant, sic genera specierum:* vel remotum, *ut interpretatio signa, voces, nomina, verba interpretantia.*

 7. In-

7. *Interpretatio multa notat.* V. Scharf. l. 2. Log. c. 1. *Hic est conceptus per vocem humanam Logica explicatio.* *Dicitur* 1. explicatio. *i.e. evolutio, obscuri illustratio, explanatio, deductio sensuum animi per certa signa.* 2. Logica. *Non hic intelligitur explicatio qualiscunq;, ut Grammatica vocum deductio, aut realis rerum Interpretatio, quæ realibus disciplinis est propria: sed* Logica, *qua propos. resolvitur in sua principia Logica ex quib. constat, i.e. in voces significantes & conceptus repræsentantes, quales sunt nomina & verba Logica, quæ â Grammaticis multum differunt, ut dicetur th. 25.*

8. *Dic.* 3. Conceptus. *Immediatè interpretatio est conceptus nostri, mediatè rerum conceptu repræsentatarũ. Hinc voces primò sensa animi notant: Secundò res quarum speciem sensa animi s. conceptus gerunt, ut benè* Philosophus de Int. c. 1. *ut malè voces significare solas res cum Scoto, Gabriele, Mendozâ asseratur, vel solos conceptus cum Boethio* V. Dn. Weger. l. d. Int. q. 5. 6. 4. Per vocem humanam. Per vocem, *quia hic intelligitur interpretatio vocalis: Et distinguenda est vox à sono, qui in rebus inanimatis est, v.g. fistulis, tibiis, lituis, fidibus, fragore tormentorũ, bombardarum, &c.* Per humanam: *Quæ vox requirit* 1. articulationem, *ut vox articulatè certis syllabis scribi poßit. Excluduntur ergò voces inarticulatæ sive hominum, ut gemitus, suspiria, clamores puerorum, morionum, a. ebriosorum: sive beluarũ, ut mavatus, grunnitus, latratus, avium cantus, &c.* V. Titelm. l. 3. Log. c. 1. 2. significationem, *ut voces significent conceptus eorum qui eas proferunt. Vt excludantur garritus quarundam avium articulati, ut Psittaccorum, picarum, corvorum, qui non norunt significata istarum vocum, quas proferunt: Item voces humanæ articulatæ quidem, sed significatione carentes, ut bumam, rahaba, &c. Pulcrè* Au-

gustinus

gustinus tr.45. in Ioh. c.10. *Vtiq; nihil aliud sunt verba quam signa, significando enim verba sunt. Tolle significationem verbo, strepitus inanis est.* 3. determinationem, *ut & determinatè significent citra ambiguitate. Nam ambiguorum, quam diu talia sunt, nullâ est Logica interpretatio, nulla enuntiatio.* 4. moralem institutionem, *ut significatio vocum non sit ex vocum naturâ, sed morali hominum instituto & placito, ut requirit* Philosophus d. Inter. c. 2. *Vbi nota:* Voces sunt significabiles naturâ *i. e. ex sui naturâ aptæ sunt ad significandum, & ita eò ab hominib. applicatæ:* sed non significantes naturâ, *i. e. quodlibet significatum cujusvis vocis non est ex naturâ vocis, sed libero hominum Instituto.* V. Becan. p. 2. Th. Sch. T. 2. c. 9. q. 5. *Sonus vocis est â naturâ: Determinatio ad hoc vel illud notandum, â liberâ hominum complacentiâ.* V. Alsted. l. 1. Log. harm. c. 3. Confer plurib. Cl. I. Mart. C. 2. d. 9. q. 1. Timpl. l. 3. Met. c. 4. q. 12. Reg. l. 2. Log. q. 1. §. 4. Fabr. l. d. Int. c. 3. q. 1. Goclen. p. 3. probl. q. 6. Combric. in l. d. Int. c. 1. q. 4. a. 2. Tolet. c. l. c. 1. q. 1. Morisan. d. 10. Log. q. 1. Muret. l. 13. V. L. c. 4. Valles. de sac. Phi. c. 3. Dn. Olha. d. Log. 6. t. 9. *aliosq;.*

9. *Signa Interpretantia sunt* voces & nomina, *quorum ope sensa animi enunciamus.* Signa *aliàs variè definiuntur.* V. Conimbr. in c. 1. d. Int. q. 1. a. 1. *& magis variè dividuntur.* V. eosdem q. 2. a. 1. 2. & Cl. Weger. in l. d. Int. q. 4. §. 3. 4. *Hæc consideratio est Metaphysici, qui in doctrina signi & signati specialiùs in horum naturã inquirere debet. Vt benè* Timpl. l. 3. Meta. c. 4. q. 1. Alsted. Encycl. l. 5. p. 1. c. 42. *Logico satis est, signum hic esse* vocem in rei cognitionem nos deducentem V. Dn. Weg. c. l. *Ita verba, nomina voces, Orationes & ea omnia quorum beneficio perficitur interpretatio, signa nostra esse dicuntur. Et*

com-

communiter hic pro signis interpretationis externis sumuntur. Aliàs & signa quædam interna dicuntur *quæ interius conceptum formant, sic vox, verbum solet amplificari à Philosophis ad id, quo & interius per conceptum formalem aliquid dicitur.* V. Dn. Weg. c. l. q. 1. §. 2.

10. Interpretatio est vel simplex *vel* composita. *Et utramq́; Aristotelem voce interpretationis intellexisse censeo, ut benè* Barthol. l. 2. p. com. c. 1. Faber. c. l. q. 2. Zabarel. l. 2. d. N. L. c. 5. Goclen. p. 3. pro. q. 2. *Et hoc est, quod* th. 3. *dictum, enuntiationem hic intelligi etiam cum partibus suis.* Simplex *est, quæ uno signo constat, & fit per nomen & verbũ, nondum conjuncta. Vt, Homo, currit. Quid utrumq́; sit, dicetur* th. 24. Composita *est oratio duo signa complectens. Vt Homo currit. Estq́; vel* imperfecta, *cum sensus non absolvitur, ut, si cognovisses es tu?* Luc. 19. v. 42. *Quos ego?* Virgil. *Vel* perfecta, *cum sensus absolvitur. Vt, didicisse fideliter artes Emollit mores. Et, hæc* vel non enunciativa *est, vel* enunciativa. Non enunciativa, *quæ affirmationem & negationem Logicè & directè non exhibet. Estq́; vel* definitiva, *ut animal grande, brutum rugiens: vel* affectiva, *i.e. quæ affectum aliquem aut ornatum Oratorium redolet, & Oratoribus, Rhetoribus, Poetis, Grammaticis est usitata, non Logicis.* Vid. Arist. de Int. c. 4. *Tales orationes sunt* imperativæ, *ut, Huc ades ô Melibœe. Huc* prohibitivæ, exhortativæ, promissivæ, comminativæ *pertinent.* Optativæ, *ut, O mihi præteritos!* Petitivæ, *ut panem quotidianum da nobis hodie. Huc* deprecativæ *pertinent.* Interrogativæ, *ut, Est aliquid, quo tendis? & in quod dirigis arcum?* Imprecativæ, Subintellectivæ, *ut cras pluet,* Exornativæ, *ut, Quem tuus, Tubero, districtus gladius concupiscebat, cujus latus petebat, quid optabat? Deus, Deus, cur me dereliquisti.* Implicativæ, *ut ambiguæ de industria,* Infinitivæ,

tivæ, admirativæ; & ejus generis similes. Conf. Titelm. l. 5. Log. c. 4. Enunciativa est, quæ directè citra ambiguitatem aliquid affirmat, aut negat. Et de illâ hic tractandũ.

11. Fuit secundum præcognitum. Tertiũ est, quis Author hujus lib. d. int. Vulgò statuunt Aristotelem. Et rectè. 1. Stylus consentiens cæteris libris id arguit. 2. allegatio librorum de anima. c. 1. Negavit olim Andronicus quidam Rhodius ap. Conimbr. præf. l. d. int. Hodie Patritius, Piccartus ap. Dn. Olh. d. Log. 6. t. 2. sed absq; ratione. Nil n. refert, Aristotelẽ conceptus hic vocare paßiones, quod non in lib. de anima. Omnino n. & ibi ita vocat. l. 1. de an. c. 1. t. 3. 13. l. 3. §. 4. t. 3. & paßim intelligere vocat pati. Intellectio ergo & conceptus jure paßiones dici possunt. Conf. Zabarel. l. d. spec. int. c. 5. Conimbr. c. l.

12. Fuit præcognitionis doctrina. Cognitionis est vel absoluta vel respectiva. Absoluta, quâ natura propositionis in se spectatur. Estq; nominalis vel realis. Nominalis triplex, Homonymica, Etymologica & Synonymica.

13. Homonymica: Propositio variè sumitur. 1. pro membro antecedente, & dicitur πρότασις, cui opponitur membrum consequens, quod vocatur ἀπόδοσις, seu redditio. Huc referri potest, quod quandoq; pro unâ contradictione sumatur, cui respondet altera. ap. Arist. in post. Anal. V. Gocl. p. 3. pro. Log. q. 15. 2. Syllogisticè, sic opponitur assumptioni & conclusioni: Hoc apud Rameos est usitatum: interdum soli conclusioni, sic major & minor dicuntur propositiones. Hoc apud Aristoteleos. V. Zabar. l. 1. post. t. 13. 3. Oratoriè pro summa dicendorum. 4. Logicè hoc loco pro dispositione affirmante vel negante. Sic hic sumitur. Etymologica: Etymologia propositionis Logica nulla est, est n. vox ultimatè abstracta: qua Logicè nulla prior est: Gram-

matica *est à proponendo, i.e. exponendo, quod exponat actum mentis affirmatè aut negatè aliquid judicantem.* Synonymica, *Dicitur etiam* Enuntiatio (*etsi Peripatetici has voces distinguant ratione, re unum sunt.* Vid. Cl. I. M. l. 2. c. Keck. præf. Scharf. l. 2. Log. c. 1.) Oratio, Interpretatio, Enuntiatum, Effatum, Proloquium, Sententia, Pronuntiatum, Prædicatio, Græcis ἀπόφανσις *item* ἀξίωμα, *quod à voce* ἀξιοῦσθαι *quod sentire, opinari significat, non ab* ἄξιος *quod dignum notat. Sic enim hæc appellatio strictior est appellando. Conf.* Scalig. ex. 128. Scheib. d. prop. c. 1. n. 3. Goclen. p. 3 probl. q. 7.

14. *Fuit* nominalis *doctrina:* Realis *quadruplex, definitiva, divisiva, affectiva & partitiva.*

15. Definitio *hæc sit:* Propositio est dispositio Terminorum affirmans aliquid aut negans determinatè.

16. Dicitur 1. dispositio, *id est, Compositio, complexio, conjunctio, quâ duo termini actu conjunguntur, sive consentiendo seu disjungendo. Nam* Conjunctio *hic ad utrumque extendi debet. Pars* prima Logices *de Terminis conjungendis tractavit, ut præcedent: disput. visam: Pars* secunda *de terminis per copulam conjunctis, id est, ipsa Terminorum actuali conjunctione tractet. Alii definiunt per* sententiam. *Vt* Keck. noster. l. 2. Log. s. 1. c. 1. Goclen. p. 3. prob. q. 3. *Sed* vel *sententia sumitur* strictè, *& famoso significato, & sic sententia est propositio cum judicio conclusa, sic strictius quid est propositione: Nam solæ propositiones veræ sunt cum judicio conclusæ, falsæ cum ἀῤῥωστία judicii conclusa. Vt bene* Cl. J. M. c. Keck. l. 2. c. 1. Vel latè, *prout qualemcunque enuntiationē notat, quod regerit* Zanakius, *& exempla ex* Melanchtone *&* Cicerone *adducit.* c. Cl. I. M. l. 2. s. 1. q. 2. *quæ ex* Goclenio c. l. q. 8. *mutuatus est: At sic æquipol-*

quipollet voci propositionis, unde th. 13. in synonymis propositionis adducitur: non latior est eâ, qualis esse debet, si genus propositionis esse debeat. Et hoc ergò non juvabit Zanakium: De alio ergò Termino cogitandum, qui sit latior propositione, latitudine eâ, quæ Logicis notionibus pluribus competat. Hic est Dispositio: seu conceptus complexus ut vidit. c. l. Cl. I. M. Dispositio competit & propositioni & syllogismo, sed diversis differentiis implicata. Adeoq; verè genus propositionis esse potest. Dispositio vero potest esse vel in mente, vel in voce, vel scripto, & sic omni propositionis formæ aptari potest. Dices: Etiam sententia est latior propositione, nam competit etiam sententiis nondum enunciantibus. V. th. 10. Ergò. Resp. Sententias non enunciantes non curat Logicus. Illa ergo communitas non sufficit hic. Communitas generis in propositione debet Logicis notionibus pluribus esse communis: Hoc non est in sententia: benè in dispositione, quæ etiam Syllogismo, qui Logica notio est, competit. Ut non diffitetur. Goclen. c. l.

17. Alii genus orationem faciunt. Ita Peripatetici pleriq;. Hoc concedi potest, si orationem genericè sumas, & pro externa & interna oratione quod fieri à Philosophis solere testatur Gocl. c. l. & bene advertit Cl. I. M. c. l. Nec video cur negetur à Zanak. c. l. Etsi enim Philologis forte ea significatio parùm usurpata, satis si Philosophis in usu. Hi enim orationem mentalem etiam vocant orationem. Alii instrumentū noëticū. Alsted. l. 6. Log: harm. c. 1. sed melius & clarius dicitur dispositio Terminorum, quam obscuris & potioribus Philosophis non usitatis terminis ingenia discentium fodicantur.

18. Dicitur 2. Terminorum. Termini sunt materia propositionis, ex quâ exstrui ea & in quam resolvi debet. Et sunt prioribus disputationibus ad partem primam pertinentibus

bus sufficienter elaborati. Ramistæ *vocant argumenta, item* themata. *Sed alienè. Vt ostendit* Cl. I.M.l.1.dis. Ram. c. 2.q.12. *Confer* dis.2.t.3. *Porrò* termini *sunt in propositione* vel immediatè *ut in simplici,* vel mediatè *ut in composita. Hæc enim quia simplices in se habet, etiam terminos mediantibus illis simplicibus propositionibus in se habet. Dicitur* 3. Affirmans aliquid aut negans, *id est, Quo indicatur aliquid esse aut non esse. Affirmare & negare in propositionis naturâ ita inclusum est, ut cogitari ea non possit, quin affirmatio cogitetur aut negatio. Affirmatio est compositio termini cum Termino: Negatio est divisio Termini à Termino.* Aristoteles *dupliciter definit propositionem: semel per verum aut falsum* d. int. c. 4. *alibi per affirmationem & negationem.* 1. prior. c. 1. *Et communiter Interpretes hanc præponunt illi.* V. Schei. c. 1. d. pro. n. 8. *Affirmatio enim & negatio interior & magis necessaria est propositioni, quam veritas falsitas,* quæ sequuntur ad affirmationem & negationem; *etsi postea dividatur etiam propositio in affirmatiuam & negatiuam, quod* in definitionibus qualibuscunque, qualis hæc, *ut notionis secundæ, est, tolerari potest.* Sch. c. l. n. 17. *Conf.* Goclen. p. 3. probl. q. 17.

19\. *Dicitur* 4. Determinatè. *Hæc vox requirit* non determinationem objectivam, *nam infinitæ non habent objectum determinatum, sed infinitè extendi possunt, ut, non homo est nō animal:* Sed 1. discretā & divisivā affirmationem & negationem, *quæ fiat per copulam, cujus vi unus terminus tribuatur alteri, aut removeatur ab altero. Vt distinguatur à* connexione Terminorum complexa, quæ objectiva est, *& citra copulam fit. Vt, homo albus, animal rationale.* Vid. d. 2. t. 30. *Hic discretè & divisivè dicendum, Homo est albus, Animal est rationale.* Vid. Arist. d. inter. 5. 2. Distinctam & ambiguitate carentem affir-

affirmationem & negationem. *Nam si de industriâ ambigua sit propositio, & in duplicem sensum torqueri possit, non est de ea Logico cura. Sic, Exiguum leporem vidi jugulasse molossos, ambiguum est, quidnam hic præcise affirmetur vel negetur. An quod molossi jugularint leporem, an lepus molossos. Hæc & similia, quamdiu ambigua manent, respuuntur à Logico, quia non faciant ad finem Logices, veritatem eruendam.* 3. Explicatam & apertam affirmationem & negationem. *Vt si lateat ea abstrusa Ornamentis Oratoriis, affectibus, additionibus, involutionibus, demantur ea omnia, & in simplicem & apertam Enunciationem Logicam resolvantur, constantem casu recto, & modo verbi indicandi, & tempore quantum fieri potest, præsenti. Hic enim valet illud Logicorum:* Propositio de præterito & futuro vera est ob propositionem de præsenti. V. Scharf. c. l. Gutk. syn. p. 278. *Et ita resolvendæ sunt Orationes istæ, Oratoriæ, Grammaticæ, Poëticæ, de quibus* th. 9. *Itemq́ identicæ, intensivæ, explicativæ, &c.*

20. *Fuit* Definitio *Propositionis. Sequitur* Divisio. *Divisiones propositionis in affirmativam & negativam, veram & falsam, &c.* seq. disp. *proponentur. Hic strictim tradendæ sunt quædam, quæ ad naturam propositionis melius intelligendam faciunt, qualiter ea hic tractetur.* I. Propositio alia est mentalis, alia vocalis, alia scripta. Mentalis *quæ in mente manet.* Vocalis *quæ externa voce profertur.* Scripta, *quæ litteris exhibetur. Quæ in Log. de prop. traduntur,* omni formæ propositionis convenire debent. *De nomine & verbo est difficultas, qui mentali propositioni conveniant. Dicetur de hoc th. 25.*

21. II. Propositio est vel implicita vel explicita. Implicita *quæ adhuc involucris quibusdam prædita, & eruenda est, ut fiat Logica, Dicitur etiam Potentialis. Tales sunt*

obscuræ illæ, quæ sunt propositiones analyticè, id est, resolutivè. V.th.9. Explicita *est, quæ apertâ forma Logica rejectis involucris proponitur. Dicitur etiam actualis. De hac hic docetur, non de illa nisi secundariò: Et ostendendo, quomodo ad veram Log. propositionem sit revocanda.* III. Propositio alia est materialis s. in actu exercito, alia formalis s. in actu signato. Materialis *est, quæ est astricta certæ materiæ. Vt Theologica, Philosophica, &c. Formalis est, quæ generaliter attendit naturam propositionis, non determinando ad hanc vel illam materiam in specie. Et sic hic tractatur propositio. Sic etiam veræ, falsæ, propositiones, quæ aliàs materiales dicuntur,* formales sunt, *quia non in se ad materiam specialem v.g. Theologicam, Medicam, descendunt, nisi interdum per accidens & illustrationis gratiâ.* IV. Propositio est vel notionalis vel realis. Notionalis *est, quæ proponit notiones secundas. Vt genus est prædicabile.* Realis, *quæ primas, ut Homo est animal. Hæc tractatio abstrahit ab utraq;.*

22. *Fuit* Divisio, *sequitur* Affectio. Affectiones *propositionis* vel sunt primariæ, *ut oppositio, Conversio, &c. De quibus* dis. 9. *vel* secundariæ, *quæ hic tractantur. Et sunt variæ.* 1. Terminorum suppositio. Suppositio *est vocis pro suo significato assumptio. Hæc varia est, & in propositione cautè observanda. Dicitur* alia materialis, *cum vox sumitur pro seipsa, ut homo est bisyllabum,* alia formalis, *cum pro suo significato. Vt homo est animal. Alia communis, alia discreta. Alia naturalis, alia accidentalis: Alia simplex, alia personalis. Alia confusa, alia determinata, &c. de quib. vid.* Gutkii syn. l. 1. c. 4. p. 280. Scharf. l. 2. c. 2. Mendoz. dis. 1. sum. s. 1. 2. Scheibl. d. pro. c. 7. n. 58. Alsted. l. 6. Log. harm: c. 12. *Suppositio ergò Terminorum accuratè est in propositionibus observanda. Nam neglecta ea pariet 4. terminos in Syllogismo. Vt, Animal est corpus vivum.*

vum. Quædam notio Logica est animal. E. Sic: Ens quatenus est ens, est subjectum primæ Philosophiæ. E. omne ens. E. & homo, bos, leo, &c. Homo est species, E. & Petrus, Paulus.

23. 2. Terminorum ampliatio: *Cum termini amplè sumuntur. Vt, Homo est animal. Homo notat hominem & actu existentem & potentialem.* 3. Term. appellatio, *cum Termini sumuntur pro re existente. Vt, Homo est Imperator Romanus, τὸ homo notat hominem existentem.* Vid. Gutk. & Scheib. c. 1. 4. Propositionis expositio, *quæ Terminorum evolutione fit* & occultatio, *quæ per crypsin fit.* vid. Alsted. c. 1. c. 13.

24. *Fuit* affectio. *Sequitur* partitio. Partes propositionis sunt vel materiales vel formales. *Materiales, vel signantes vel signatæ. Signantes, quæ sunt signa Logica signatarum. Suntq; nomen & verbum.* Nomen est signum Logicum subjecti, tempus nō consignificans. Verbū est signum Logicum prædicati, tempus consignificans. Ita colligitur ex Aristot. d. Int. c. 2. 2.

25. *Dicuntur* 1. Signa s. notæ, *id est*, indicia intellectui nostro notantia, *aliquam duarum vocum debere poni loco subjecti, aliquam prædicati. Sic inter, homo & animal, intellectus judicat hominem esse nomen, animal esse, verbum. Ita de verbo* Arist. c. 1 dicit, *esse notam eorum quæ prædicantur. Ergo* eadem analogiâ nomen est nota eorum, quæ Logicè subjiciuntur. *Et per hoc officium* ingens est discrimen nominis & verbi Grammatici & Logici, *ut insulsè hæc doctrina Grammatica Rameis dicatur. Nec nomen & verbum sunt* Termini partis primæ, ut Crellius, Regius, Petrella, Faber, Bartholinus, Smiglecius, *aliiq; volunt: nec* ipsum præcisè subjectum & prædicatum, *ut* Titelma, Bersman, Faber,

Bar-

Barthol. Casus, Crell. Scharf. *aliiq. Nisi materialiter, concretè, exotericè & populariter. V. Dn. Weg. q. 9. d. int. §. 5. Per hoc etiam nomen & verbum Logicum* & ad propositionem vocalem accommodari debent, *cujus sunt principia, & quidem ex tractatione Aristotelis ad hanc tantùm, Agit enim de nomine & verbo Aristoteles, tanquam de vocibus.* l. d. int. c. 2. V. Dn. Weg. in l. d. int. q. 10. n. 6. *Et si Logicè magis quam Grammaticè hos terminos sumas, ut hic fieri debet,* etiam ad propositionem mentalem, *& sic nomen Logicum se habebit, ut signum conceptus simplicis, qui debet esse in loco subjecti, Verbum Logicum ut signum conceptus simplicis, qui debet esse loco prædicati inter duos terminos Logico ad ordinandam propositionem propositos. Sic ad te, in te, apud te, cogitando habebis nomen & verbum Logicum in conceptu, utut exteriori prologuio sensa conceptuum non extuleris.* Debet n. Logicus suos terminos, quantum fieri potest, ita definire, ut ad mentalem operationem maximè habeatur respectus. Conf. Scalig. ex 307. s. 23.

26. *Hoc est, quod in definitione dicitur* 2. esse notas Logicas, *id est, notare aliquid intellectui, sive voce id fiat, sive conceptu: Notæ dicũtur & ratione* significationis, *quæ in omni Termino Logico est.* Vid. Dis. 2. t. 18. *& specialiter in termino operationis secundæ.* V. t. 20. *& ratione* signationis, *quâ intellectui esse subjectivum & prædicativum inter terminos signare debent. Per hoc differunt â Terminis partis primæ, qui respectum illum proximum ad subject. a. prædicatum non involuebant.*

27. *Dicitur 3.* Nomen nullum Tempus consignificare, verbum tempus consignificare. *De hac Definitionis particulâ multæ adversus Aristotelem moventur difficultates, quas passim enarrant* D. Conimbr. in l. d. int. c. 4. q. 2. a. 4. Tolet. in l. 1. d. int. c. 3. q. 1. Ruvius in l. 1.

in l. 1. d. int. c. 1. q. un. Moris. D. Log. 10. q. 4. Casus l. 1. Log: c. 6. *Omnium acutissimè* Cl. Weger. in l. d. int. q: 8.

28. *Iis facile obveneris, si distinctè observaris quatuor.* Aliud est tempus significare, *quod* & nominibus *competit, ut annus, hora, mensis,* & verbis, *ut noctescit, diescit, vesperascit, &c. ut benè* Faber in c. 4. d. int. 2. Tempus qualitercunq; connotare, *id est, ut in voce aliquâ tempus vel in præsenti, vel præterito, vel futuro connotetur, saltem in abstracto, id est, ut existentia in tempore notetur, non concreto, id est, ut fluxus per differentiam temporis aut ei æquipollentis, mensuratus implicetur. Hoc etiam* nomina *possunt. Sic cœna, prandium, verberatio, notant actiones in præsenti quasi existentes, sed abstractè citra fluxum exercendi actionē in tempore. Majores, Posteri, coætanei, connotant tempus, id est, existentiam in tempore, sed citra fluxum. Idem est in* participiis, *quæ actionem in tempore notant, sed citra determinatam temporis differentiam per fluxum. Sic ambulans, verberatus, amatus, &c. Et* hinc participia cum omnibus differentiis temporum conjungi possunt, ut homo est, erit, fuit, ambulans: *Quod impossibile esset, si in se fluxum determinatæ temporum differentiæ consignificarent.* 3. Tempus accidentale implicare, *id est, differentiā aliquam temporis involvere, quæ non tempori, ut tempus est, competit; sed ut hoc aut illo loco numeratur. Hoc etiam nominibus competit. Vt matutinus, vespertinus, nocturnus, diurnus. Vbi hic vesper est, alibi mane esse potest.* 4. Tempus essentiale aut illi æquipollens Logice consignificare, *id est, notare aliquid per modum actionis aut passionis, cum connotatione fluxus differentiæ temporis essentialis, id est, præteriti, præsentis aut futuri, aut alicujus ei æquipollentis, ut in duratione Angelica, & divinâ. Quam tempus Logicum & Metaphysicum vocare solent.* Hoc solis verbis

com-

competit. *Sic me cœnare, prandere, notat actionem cum fluxu præsentis connotatam: Cœnasse actionem cum fluxu præteriti. Idem est* in verbis illis *cesso, quiesco, fio, existo, morior, ubi aliquid in modum actus aut passionis significatur:* & verbis divinis, *ut creo, genero, prædestino, justifico, ubi tempus Metaphysicum, id est, duratio æterna cuilibet temporis Physici differentiæ coëxistens connotatur.* Sunt enim verba in divinis sumenda pro eâ potestate, quam in divinis habere possunt. *Vt è verbo divinis attributo non statim tempus cum Photinianis, Bebeln. c. Keck. colligendum, sed duratio qualiscunq́; eminens tempore. Vnde verba in divinis sæpè nomina fieri ajunt Authores, id est, significare sine tempore sc. Physico.* Vid. Cl. I. Mart. l. 2. Eloh. c. 51. Cl. Hopfn. in l. d. inf. c. 3. Cl. Weger. c. l. q. 8. Valentiam T. 1. d. 1. q. 10. p. 1. Becan. par. 1. Th. Sch. c. 8. §. 7. Brochm. L. C. de Deo. c. 3. q. 4.

29. *Fuerunt* partes materiales signantes: Signatæ s. objectivæ *sunt, de quibus propositio verificatur. Et sunt* subjectum & prædicatum. Subjectum *pars prop. Logicè antecedens.* Prædicatum *Logicè consequens.*

30. *Subjecti vox variè sumitur.* Vid. Scheibl. Top. c. 8. n. 2. *Hic dicitur* pars prop. Logicè antecedens, *quæ in Logicâ dispositione antecedere debet. Proponunt aliàs authores varias notas subj. & prædicatorum. Vt articulum Græcum, ordinem & situm verborum, ordinem rerum. Sed hæc non semper procedunt.* Vid. Scharf. l. 2. Log. c. 3. Scheibl. d. pro. c. 1. n. 24. *Nec satis cautè dices, subjectum esse id, quod in rerum naturâ antecedit; prædicatum id, quod in rerum naturâ consequitur.* Nam hic non antecessio aut consecutio naturalis semper observatur, sed notionalis, ut bene Cl. I. M. l. 2. disc. Ram. c. 2. q. 3. *Sic si dicas, Albedo est corporis, albedo naturaliter sequitur corpus, hic notionaliter antecedit. Sic omne visibile est homo. Rectius ergo subj.*

pars

pars Logicè antecedens dicitur, Prædicatum pars Logicè consequens. Quæ Logica antecessio & consecutio ex dispositione & resolutione terminorum Logica, ex quibus constat propositio, est dijudicanda. Rectè Mendoza. d. 1. sum. p. 1. §. 2. subjectum est quod subest prædicationi, qualiscunque aliàs res sit.

31. Fuerunt partes propositionis materiales. Formales sunt, quæ nexum extremorum spectant. Suntque iterum vel signantes, vel signatæ. Signantes sunt, quæ sunt media signatarum. Vt copulæ concretè sumptæ, ut verbum est in simplici, conjunctio aliqua in compositâ propositione. Signatæ sunt, copulæ abstractè sumptæ, id est, ipsæ conjunctiones & attributiones subjectorum & prædicatorum, quæ sunt operationes actus nostri intellectus, conjungentis terminos vel abjungentis.

32. De copulis variæ rixæ inter authores sunt. An partes propositionis? An partes prædicatorum? An formæ propositionũ? An ex æquo tàm subjectum quam prædicatum respiciant? De quibus ut strictim aliquid attingatur, Adverte sequentia. 1. Copulæ abstractè sumptæ sunt ipsæ formæ propositionũ. Nam forma propositionis consistit in connexione seu aggregatione extremorum. Vt benè Scheibl. c. l. n. 34. seu ut th. 12. dictum, dispositione terminorum. At copula hoc modo sumpta est ipsa copulatio extremorũ. 2. Copula concretè sumpta de est secundi, ut vocant, adjecti, est integrum prædicatum propositionis. Notatque actum existendi. Vt: Deus est, Socrates est, id est, est existens.

33. 3. Copula concretè sumpta de est tertii adjecti, ratione materialis significati, est pars prædicati totalis seu formalis, notatque actum aliquem essendi vel existendi. Sic homo est animal, τὸ est pertinet ad prædicatum totale, unde Aristoteli dicitur προσκατηγορούμενον. cap. 3. l. d. int. Et ex conversione liquidò apparet, Vt, Homo.

mo

mo est animal: Et quoddam quod est animal, est homo. Vide Tolet. quæst. 1. cap. 3. l. 1. d. int. *Nec magni momenti sunt, quæ contrà à* Morisano *adferuntur.* q. 4. d. 10. Log. *Notatq; actum aliquem* vel essendi, *ut in prop. essentialibus, Vt, homo est animal,* vel existendi, *ut in accidentalibus. Nec video, cur hoc negetur à* Nihusio d. 3. Log. c. 4. Zabarella in tab. Log. p. 27. *Idem per analogiam in propositionibus eminentibus obtinet, ut, Deus est Spiritus: Homo in Christo est Deus: & deficientibus, ut, Homo est mortuus, Cœcitas est privatio. Vbi actus negativi notantur.* 4. Copula concretè sumpta de est 3. adjecti ratione formalis modi significandi est medium, vinclum, signum, nota, instrumentum, astrigmentum, modus, *& quomodo vocare libeat, cujus beneficio intellectus noster conjungit prædicatum & subjectum. Et hoc sensu commodè excusari possunt illi,* qui copulam ex æquo respicere subjectum & prædicatum ajunt, *id est, esse medium, quod tàm conjungit subjectum prædicato, quam prædicatum subjecto. Secus magis propriè vindicatur prædicato quam subjecto. Et hæc de partibus propositionis.*

Additamenta.

Copula per se non potest Tropum sustinere nisi ratione prædicati Totalis, cum quo in unum coalescit.

Falsò dicitur, sanationem Paralytici factam esse post reditum Christi à Gergesenis, Matt. *9. v. 2. Diu ante facta est, ut è* Marco *2. v. 1. 2. c. 5. v. 1.* & Luca *c. 5. v. 8. c. 8. v. 26. patet: A quibus hactenus ordo gestorum desumendus. Matthæus hanc historiã connectit cum Iairi & hæmorrhousæ historiâ, quæ post reditũ illum contigerunt, & sic & illã de Paralytico inspergit.*

Christus cum maximè fuit in mundo, non fuit in mundo. Vide Joh. *17. v. 11.*